

Marino Justiniano, ad Ferdinandum Romanorum Regem legato, imperatum est, ut priscis, ac recentibus a Turca illaris injuriis exasperatum acrius commoveret, atque ad dissidia cum Joanne Hungariæ Rege tollenda suaderet, quo expeditius arma in Turcas verteret, & a barbaris acceptas injurias generoso impetu semel ulcisceretur. Nam ad Turcarum vires frangendas nihil opportunius censebatur, quam ut terrestribus armis peterentur, ac Germani, feroces & bellicosos spiritus gerentes, ad pristinum Imperii decus gloriamque, cui aliqua resperfa ab hostibus labes videbatur, instaurandam, unanimi impetu commoverentur.

Dum inter dubias belli, pacisque spes Senatus versaretur, atque Christianorum Principum animos ad concordiam cohortari, ad foedus faciendum incitare summo studio eniteretur; Alexander Ursinus xviii. kal. januarii Venetias rediit, cum Jacobi Canalis legati literis viii. ac vii. kal. novembris datis ex arce, ad Euxinum sita, in qua Suleimani jussu inclusus fuerat. Summa Ursini itineris, ac eorum, quæ gesserat, hæc fuit. Venetiis profectum ad Chertzegi præfectum se contulisse; ab eo duos itineris comites, qui Thessalonicam perducerent, datos: Reipublicæ legato non invento, Luphtibejum, & Ajacem supremum Bassam adiisse; a Senatu ad Suleimanum oratorem designatum, significasse, qui ea, quæ acciderant, præter illius mentem contigisse significaret: inde duobus aliis comitantibus Byzantium v. kal. novembris pervenisse; cum legato congressum, a quo Hadrianopolim proficisci jussus fuerat: ibi Suleimanum venationibus intentum offendisse: cum Ajace loquutum, primum mandata ad Byzantii gubernatorem impetrasse, quibus Canalem e turri educi, liberiore loco, custodibus tamen adhibitis, jubebatur: deinde ut statim Venetias contenderet, legatumque a Senatu miti curaret. Canalis autem legati literarum hæc erat sententia. Cum ipse in castris Suleimani ad Aulonem esset, ac Veneta classis in sinu Rhizonico prope Neocastrum moraretur, Janusbejum illi exposuisse, Suleimano, ut statim Byzantium peteret, decretum fuisse, rationes redditurus, cur, sæpius disertis verbis Venetorum de servanda pace voluntate testata, contra quæcumque ab hostibus proficisci possent, ea in subditorum navigia, resque suas

1537
Senatus officia cum Ferdinando Rege.

Alexander Ursinus Byzantio Venetias rediit.
Alexandri Ursini expositio.

Jacobus Canalis orator ab Hellepontica turri educitus.